FRANCISCO I. SICILIARUM REGI. ec. ec. ec.

IN OBITU FERDINANDI I. AUGUSTI PATRIS SUI.

NAPOLI

ELEGIA

Occidit heu! subita Fernandus morte peremptus;
    Et nostrae lacrymis hinc maduere genae.
Illius aeternum at vivet post funera nomen,
    Qui fecit vitam praenituisse suam.
Fernando certam det pacem Rector Olympi,
    Cui Fernandus erat Relligione sacer.
Quem subito Lachesis percussit barbara telo,
    Gentibus ille suis flebilis umbra manet.
Fernandi virtus, Fernandi gloria vivit,
    Dum tanti Proles digna Parentis adest.
FRANCISCUS superest, Borbonum nobile germen,
    Unde viget Siculo gloria prisca Throno.
Virtutes referens Patrias, ostendit avitas,
    Dumque reget populos his Patris instar erit.

Digitized by Google

Dum nova sceptra tenet, tot se virtutibus ornat,
Tristitiae nostrae ponat ut ipse modum.
Quaerenti misero facilem dum commodat aurem,
Non Patris, at summi Numinis instar adest.
Gaude Parthenope, regio Sebetia gaude,
Namque in Rege novo stat novus ecce Pater.
Proteget hic populos, populos hic junget amice,
Gentibus hic praeerit semper amore potens.
Relligio, Pietas adstant, Prudentia, Zelus,
Adstat sacra Fides; adstat amica Themis.
Oh si docta Poli de Manibus umbra rediret,
Quam bene FRANCISCO plauderet ille suo!
FRANCISCO gaudens, benediceret ille labores,
Quosque operi longas praestitit ille dies.
Quam bene virtutis spectaret semina primae,
Quum bene, quod coluit, plauderet ingenio!
Numina FRANCISCO concedant Nestoris annos,
Sicque suos populos Palladis arte beet.
Illa diu secum CONJUX carissima vivat
Hispani vivat gloria digna soli.
Jam Regina sedens asservet sceptra marito
Cui Siculi pondus molliat usque Throni.
Adstet amica Comes, redamansque servet Amantem,
Et curas inter otia grata ferat.
Semine dum longo tectum Regale decorat,
Virtutem exempli nobilitate ciet.

Digitized by Google

Haec, FRANCISCE, Tibi male compta haec carmina promo,
    Regia si Musis scandere tecta licet.
Obsequium, FRANCISCE, meum mea carmina praebent,
    Quamque Tibi servo, Rex venerande, fidem.
Quae jam Grammatices scripsi principia nostrae,
    Grata fuisse Tibi, gratulor ipse mihi.
Hunc tua Progenies tenet erudienda libellum,
    Grande decus scriptis provenit inde meis.
Haec mea nunc pariter quae scripsi, haec accipe PRINCEPS,
    Ut tanto fiant nomine digna legi.

Umill.us subd.mo
FRANCISCUS MAJELLO.

Digitized by Google

A01 1466705

Digitized by Google